



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

11. An aduersus tertium possessorem in quem res vendita est agere
venditor possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

§. XI.

An aduersus tertium possessorem in quem res vendita alienata est agere venditor possit?

- 1 Aduersus tertium possessorem qui rem habuit titulo oneroso. Et ignarus fuit vitij prioris contractus non datur actio.
- 2 Bene tamen si conscius fuit vitij, simulque impotentia prioris emptoris ad satisfaciendum.
- 3 Secus si credit priorem potentem esse satisfacere.
- 4 Aduersus bona fide rem titulo lucratio habentem negant dari actionem plures.
- 5 Contrarium vix potest commune suscipiendum esse.
- 6 Satisfit ratiocinatio oppositis.

Errum est aduersus tertium possessorem qui rem titulo oneroso, seu pretio iusto accepit non dari actionem si ignarus fuit vitij prioris contractus, & primus emptor potens est soluendo. Vt aduertit Glossa, Bartol. Bald. in dicta leg. 2. & ibi Padilla num. 39. Tiraquel. in leg. si unquam verbo reuertatur, numer. 271. Couartuu. 2. var. cap. 3. numer. 10. Molin. disput. 349. S. si res. Matien. leg. 1. titul. 11. lib. 5. m. 24. & alij apud ipsos.

Quare difficultas solum est, cum primus emptor soluendo non est, & rem titulo lucratio alienauit, vel si alienauit titulo oneroso secundus emptor conscius fuit fraudis à primo emptore commissa, aut denique eodem vitio eius emptio laborauit. Qua in re omnes Doctores conueniunt concedi actionem aduersus tertium possessorem, si conscius fuit fraudis à primo emptore commissa, reddique impotentem ex ea alienatione ad satisfaciendum primo venditori, quia suscipit in se obligationem primi emptoris ob fraudem quam committit, & praedictum quod primo venditori inferit.

At si conscius fraudis commissa credit primum emptorem potentem esse primo venditori satisfaciendo, non videtur subiectus, vt contra ipsum agi possit, quia non possedit rem mala fide: vt bene notatur Salas tract. de empt. & vendit. cap. 27. num. 9. Si enim cum emit rem iusto pretio ignarus fraudis in priori contractu commissa non datur actio aduersus ipsum: vti ex communi docuit multos referens Matienus, Molin. & Salas locis allegatis; sic dari non debet actio cum credit secundum possessorem ex illa alienatione non reddi impotentem ad satisfaciendum primo, qua in vtroque casu iuste, & licite emit.

Verum si ignarus tertius possessor fraudis & impotentia secundum venditoris ad satisfaciendum primo titulo lucratio rem accepit, aut titulo iniusto eodem vitio laesionis infra dimidium laborante, Pinel. in dicta leg. 2. p. 2. cap. 1. numer. 32. quem refert, & sequitur Fachin. lib. 2. controvers. cap. 18. negat primum venditorem agere posse aduersus hunc tertium possessorem. Ducuntur primo, quia obligatio orta ex contractu personalis est, leg. dolus. Cod. de rescind. vendit. Ergo in tertium possessorem deturari non potest iuxta leg. 1. §. si heres. ff. Ad Trebellian. Secundò argum. leg. aris alieni. Cod. de Donationib. vbi creditor negatur actio aduersus donarium, & possessorem rei sui debitoris, neque ibi distinguitur, an debitor soluendo fuerit vel non. Tertio ex lege 1. §. 3. Cod. si venditor pignore agatur, ibi enim deciditur aduersus tertium possessorem agi tantum posse cum mala fide emerit, & is qui conuenit poterat soluendo non est. Ergo cessante mala fide conueniri non poterit.

Ceterum etsi hæc sententia probabilis sit, singularis tamen est; nam communis quam refert, & sequitur Tiraquel. in leg. si unquam verbo reuertatur. numer. 271. Couartuu. 2. var. cap. 3. numer. 10. Matien. leg. 1. tit. 11. lib. 5. gloss. 8. numer. 24. Menoch. conf. 63. num. 22. lib. 1. Molin. & Salas locis allegatis; affirmat concedi actionem aduersus tertium possessorem in subsidium secundi, qui vel soluendo non est, vel non potest à primo possessore conueniri. Probat argum. Textus in leg. in causa 14. §. fin. ff. de minorib. sed infirmum argumentum. Nam Textus solum inquit minorem restituendum esse aduersus tertium possessorem, si tertius ille possessor rem emerit sciens minorem esse læsum, primumque emptorem soluendo non esse, non tamen probat dari actionem aduersus tertium possessorem ignarum huius impotentia titulo lucratio vel iniusto possidentem.

Quapropter communi sententia ratione adhaerere. Cum tertius possessor rem possidet ex contractu eodem vitio iniustitiae laborante, secundus possessor actionem habet aduersus ipsum vt peripicuum est. Ergo ea actio in commodum prioris venditoris cedit, cum ipse secundus possessor obligetur in satisfactionem prioris contractus secundum rescindere, vel supplementum pretij recuperare. Si autem in tertium possessorem titulo lucratio translata res est, æquitati consonum videtur, vt rescindatur ea alienatio, vt ipse in fraudem primi possessoris facta, si-

cuti rescinduntur alienata in fraudem creditorum

Neque obstant rationes oppositæ. Ad primam concedo esse actionem non vtunque, sed in rem scriptam, ideoque ad tertium possessorem deturari, sicut restitutio in integrum, & conditio indebiti. Ad secundam ex leg. aris alieni respondeo etiam ibi non exprimitur, an donans soluendo fuerit supposito debet ex aliis iuribus. Vel dic negari actionem in donarium directam, sed non subsidariam, & in defectum donantis debitoris. Ad 3. ex leg. 1. §. 2. Cod. si venditor pignore. Respondeo in contractibus emptoris iusto pretio verum est non dari illam actionem, nisi emens fide mala processerit, & vendens soluendo non sit. Secus si iniusto pretio empto secundo res fuerit, eodemque vitio iniustitiae laborauerit, vel contractu lucratio acquisita fuerit ab eo qui soluendo non est.

§. XII.

An agenti remedio dicitur legis 2. obstat exceptio melioramentorum?

- 1 Negant aliqui hanc exceptionem opponi posse.
- 2 Verissima est opposita sententia.
- 3 Fit satis opposito fundamento.

Contingit emptorem infra dimidium iusti pretij rem emptam meliorasse, cum venditor aduersus ipsum agere remedio dicitur legis 2. potestne ipsi obicere, vt melioramenta prius soluat? Negat Salicet. in dicta leg. 2. quem alij sequuntur, quorum fundamentum est, quia superflua videtur hæc exceptio, cum liberum illi sit pretium supplere, si rem retinere velit.

Sed verissima est sententia Baldi in dicta leg. 2. & ibi Cagnoli numer. 155. Pirelli 2. p. cap. 31. num. 2. Fachin. lib. 2. cap. 20. initio, & aliorum apud ipsos afferentium emptorem contentum obicere posse melioramenta, & sumptus necessarios, & viles, exigereque vt sibi prius soluantur, quam ea actio incenatur argument. leg. intra vitio 40. §. vlt. ff. de Minorib. vbi minor restituitur aduersus venditorem pradii à curatibus factam cogitur sumptus necessarios & viles emptori restituere.

Præterea huiusmodi emptor bona fide possidet, cum possideat ex legitimo & valido contractu tamen rescindendo, leg. bona fidei ff. de verb. significat: cui bonæ fidei non obicit læsio ultra dimidium. Vt manifestè probat lex si superflua. Cod. de dolo. At possidenti bona fide sumptus, & melioramenta restitui debent, si res ab eo extahatur, leg. in fundo ff. de vindic. leg. domum. Cod. eodem. leg. si pradium. Cod. de preliis minorum.

Neque fundamentum Saliceti obstat. Fateor superfluum fore eam exceptionem melioramentorum, & sumptuum, si emptori concessum tantum esset supplere pretium in quo venditor læsus fuit. At quia ipsi permittuntur, est rem emptam restituere rescisso contractu sumptus, & melioramenta facta obicere, & exigere potest, vt sibi prius soluantur, quibus soluit, & accepto pretio dato restituere rem emptam possit.

§. XIII.

Qualiter agenti remedio legis 2. satisfaciendum sit?

- 1 Satisfitur qualiter venditori, & emptori satisfaciendum est.
- 2 Si emptor eligat rescindere contractum, & rem emptam restituere plures affirmant debere restituere cum fructibus.
- 3 Veritas est non esse obligationem restituendi fructus.
- 4 Satisfit oppositis fundamentis.
- 5 Si nullum ex pretio lucrum reportauerit nihil esse deducendum affirmat Matien.
- 6 Regulariter deducendum est.
- 7 Eriam in casu quo venditor sit conuenit non est obligatus emptor rem cum fructibus restituere.

Venditori agenti beneficio legis 2. satisfaciatur emptor contentus cum restitutione contractus, tum pretij supplementum prout sibi magis placuerit. Vt expressè colligitur ex dicta leg. 2. & leg. si voluntate Cod. de rescindenda vendit. Si eligat emptor pretium supplere, totum illud in quo venditor fuit deceptus supplere debet, nec satisfaciatur si eam quantitatem restituit per quam cessaret læsio infra dimidium iusti pretij. Et idem est si emptor aduersus venditorem ageret, eo quod rem valentem non emerit 16. non satisfaciatur venditor reddens vnum minimum, per quem excluditur læsio ultra dimidium, sed necessario omnia illa quantitas in qua deceptio contingit restituenda est. Sicuti alios referens aduertit Anton. Gomez 2. var. cap. 2. minor. 21. Sed an teneatur restituere lucrum illius pretij defraudati, quod licite habere læsus possit centum empto? Quod solum conuenit